



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ


Kojałowicz, Kazimierz Wijuk

Antverpiae, 1668

Modus LVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)

sederis latius inanis eris. In hoc certè fixerat spes suas, Stanislaus ut cum Job diceret 19, *Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Non in arcis, non in horreis, non in vitæ & fortunæ successibus: ad quæ omnia auferenda validæ sunt hominum & temporum injuriæ: sed in sinu, in cordis medullis, hoc est Deo; in quo sperans, factus est, filius, Virginis matris, & hæres sanctæ spei. Quid nos obsecro interea? quo amore raptamur? quo angustiarum timore? quibus involuimur tenebris? quâ premimur diffidentia? O! Esto auxilio beate Costule! & deterfis improbus amoribus, depulsis timoribus, detracta cæcitate, exclusis angoribus, fac nos, dignos tantæ matris filios, ut cum nostrorum animorum, repansa fuerit imago, Tui, similes, Mariæ addicti, ac inde Deo cari, noscamur.



MODUS LVII.

CUm officium proprium Oratoris sacri sit, auditores instruere, monere, docere: dupliciter, cum virtute ab hoc officio quodammodo sermone averso, procedere potest Orator. 1. Cum aliis, quam auditore agendo, deliberando, suadendo, dfluadendo, excusando, accusando, consolando, & his similes actiones in se recipiendo dum tamen ea loquatur, quæ auditori serviant 2. ipsū Auditorem non per modum Doctoris, aut monitoris sed vel per modum amici, sociiq; alloquendo, & de communibus salutis periculis conferendo: vel per modum nuncii, tristitia illi aut læta nuntiando, vel alios

lios modas agendi his pares adhibendo: E.g. Dom. post Pent. VIII. quæ est de Villico diffamato posset aliquis proponere. Nosse se, quanti constet, apud Dominū diffamari, atque ideo acturum se cum villico, ut porro pergat, cogitationes de suo statu susceptas promovere: ubi, omnia ea deberent dici quæ in Auditoribus, seriam apprehensionem periculum, salutis, ingenerare possent. Dominica 19. post Pentec. ad illa verba. *Quomodo huc intrasti?* Silet interrogatus, nec est qui pro illo verbum dicat. Suscipiam ejus causam, & pro posse tuebor: ubi excusationes variorum quas prætexunt, in innocentia neglectu, ita essent adferendæ, quod simul pateret nullam earum, apud Deum valituram. Dominica 1. post Nativ. ubi prædicitur, Christum fore multis in ruinam, posset similiter dici compertos sibi eos quos hæc manet ruina. Moniturum se igitur sincerè, ut mala sua antevertant. Sunt autem Non credentes, malè credentes, bene credentes, sed male viventes.

P R A X I S.

Dominica II. post Pentecost.

Misit servum suum dicere invitatis ut venirent.

Luc. 14.

Accessus & Propositio. Si gloriari cum Paulo oportet, in infirmitatibus meis, & in virtute Christi gloriabor. Conservus sum fratrum meorū, & unus ex iis, quos destinavit Dominus, dicere invitatis, ut venirent. Id circo huc hodie descendi,

U 4

hoc

hoc opere fungi volo, atq; utinam ita fungar, quatenus illis ut veniant persuadeam. Adeste igitur ò invitati, adeste quibus salutis promissio facta est, Vobis loquar, vobis ne divinam cœnam negligatis suadere conabor, dummodo aures ac animum commodetis.

Confirmatio, per suasionem ad invitatos directam, adeste ut velint.

Primum igitur, quod vos movere debet, ò boni invitati, est summa humanitas Patrisfamilias præstolantis. Caligula, apud Suet; inter medios convivas mensæ suæ, subridens, causam risus dedit, Quia vos omnes possum occidere. Domitianus mensam cõvivalem, apparatu pulchro, & severæ mortis imaginibus, funestavit. Absalon 2. Reg. 13. fratris sanguine dapes polluit. | Pharaon & Herodes diei natalis, sacra convivalia, fædissimè cruentarunt. Nihil in hac cœna tale suspicandum, nihil verendum est, quod ut ipse invitans significet, hominem se vocari jubet. Homo quidem fecit cœnas. Imperator ille est, & Rex Regum, ac Dominus Dominantium; Manarcha est, cujus voluntati nemo possit resistere, sed ut vos humanissimè habeat; & libertatem integram veniendi relinquit, & non Rex, non Imperator, sed homo vult dici. Hoc sæpius revocans nobis, quod dignatus est fieri pro nobis ait D. Greg. nascendo, docendo, invitando, solando, atque etiam iudicando, & præmiando: quod dum perpenderet Bernar. in 5. Joan. exclamavit. O vere Pater misericordiarum! vult per hominem, homines iudicari,
quo

quo in tanta trepidatione malorum, electis fiduciam præstet similitudo nature; Quid, si dum Judex venerit id solabitur, qui homo est; quanto magis nunc debemus, hac humanitate oblectari, & capi, quia homo est; & haberi vult, dum nos ad suam invitat cœnam. Gen. 42. videns Joseph fratres, majestate sua ac potestate turbatos. *Accedite ait ad me, Ego sum Joseph frater vester.* Esther c. 15. cum intrasset Asveri Palatium, ac timore repentino correpta, animo linqueretur; his verbis blanditus Asverus. *Quid habes Esther? Ego sum frater, noli metuere.* Pulcherri-
 rimæ humanitatis utrumque exemplum; nec seminari vos invitat, O! quibuscunque hæc ejus voluntas denuntiata ad cœnam suam, humanissimus homo, homo Deus, homo convivii sempiterni Paterfamilias. Quid enim dicit, cum dici vobis jubet. *Homo quidam fecit cœnam,* nisi quod frater vester sit; homo de homine, caro de carne, & os de ossibus vestris. Singulare nomen non quærit, quia communis illi, ut natura, ita bonitas est. Lex erat, ut captivi qui festis Jani, vestem Imperatoriam attigissent, libertate donarentur. Præstiturus id beneficii Severus, spontè carceres adiit, cum inde plurimis liberatis, autoritatis Imperatoriæ moneretur. *Omnes me inquit do, & omnes se mihi dent,* si hoc est, se omnibus dare, vestem tangendam concedere: humanitatem sibi induere Divinitatem humanitate vestire, atque homines, humanâ formâ, habitu, voce ad se invitare, quid erit. O dura pectora! quæ tantæ humanitati non cedunt, quæ humanissimum hominem se invitantem non audiunt.

Nectantum, humanitas inuitatis, eos pellicere debet, sed & ejusdem, singularis circa nos amor, & vestri boni cura. Inter celebratissima orbis convivia, habetur convivium Asveri, quod Esther I. fecit grande, & multo tempore centum videlicet & octoginta diebus. Quo id fine! *Vt ostenderet divitias gloria Regni sui, & magnitudinem atque iactantiam potentia sua.* Hæc Asveri, hæc mundi convivantis meta, jactantia, gula luxus. Proponunt cibos, ut colligant opiniones, proponunt pocula, ut bibant superbiam. Se vendunt, & se licitantur simul, nec convivarum bono, sed suo luxuriantur. Longè à vestro, ô invitati, is animus Patrefamilias! Parata est Cœna, & ab ipso met parata, fecit enim Cœnam non fieri jussit, ut repræsentaret, quod de Principibus dixit Cassiod. lib. 12. *Dona Regum, nulla debent pollutione fuscari, sed sicut ab ipso exeunt copiosa, ita debent ad cives pervenire, mutant enim quamlibet largitatem ministrorum manus.* Quis verò eius præparationis finis. Necessitatis vestræ providentia: Quam vel ex eo probat, quia tanta sollicitudine vos invitat, & nisi adsitis, ex vicis & plateis, pauperes colligi jubet, ne beneficentiæ fraudetur solatio. Hoc ipsum prodit, dum convivium quoque suum, cœnam appellat. *Cœna dicitur inquit D. Greg. Quia post cœnam nullum convivium restat.* Heu quanto studio vana mundi aucupamur jentacula! Quanta gula in prandia sæculi & voluptatum ruimus? His tamen, nisi ad cœnam hanc accedamus, nunquam saturi futuri. Post ientacula prandia, post prandia cœna, *post cœnam, nullum convivium restat.*

Prò quanta fiti , à tot millibus annorum, præmitur clamans ex inferno epulo Luc. 16. *Pater Abraham miserere mei , & mitte ut intingat extrema digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam.* At post cænam, nullum convivium restat. Prò quantam famem patiuntur ! à tot sæculis infelices illi, quibus Christus minatus Lucæ 6. *Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis.* At post Cænam, nullum convivium restat. *Felix pestilentia,* ait Quint. declam. 12. *Felix præliorum strages, deniq; omnis mors facilis, fames aspera, durissima necessitatum, asperrima malorum;* nisi tamen invitati obtemperatis, toleranda hæc æternum erit. Post cænam nullum convivium restat, Unde & vos tremenda petit sententia. *Non gustabunt cænam meam.* Cænam itaq; , postquam, nullum convivium restat, cænam eamque magnam, id est ut placet Euthymio, quæ finem nesciat. *Circuibunt igitur civitatem Psal. 56. et famem patientur ut canes.* Allatrabunt portas, heu! clafas, odorabunt cibos, heu! negatos. Semper esurient & semper negabitur cibus, semper latrabunt, & semper dura cruciabuntur fame, dum interea vocatis & obedientibus applaudet Paterfamilias verbis apud Isa. 65. expressis. *Ecce servi mei comedent, & vos esurietis, ecce servi mei bibent, & vos sitietis, ecce servi mei letabuntur, & vos confundemini, ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore ordis & præ contritione ululabitis.* Nil tum proderunt vitæ Domino sublato, nil boves, pinguibus, à macris nil uxor, nil liberi, nil affines, singulis pro se aut sollicitis aut afflictis.

Adeste

Adeste igitur invitati! & si non movet vos humanitas invitantis, moveat necessitas vestra. Vestrum bonum agitur, si paretis, vestrum malum vertitur, si recusatis. Nihil illi mihi respondent, O auditores vos quid quæso respondere par sit decernite, aut si alii stultescunt, alieno Exemplo sapite. Ne quæso tempus invitationis vestræ, tempus salutis, vanis mundi occupationibus, insumite. Pereant opes, pereant voluptates tandem periture dum vos perdere festinant &c.

MODUS LVIII.

A B adjunctis. Quis, quod, ubi, quibus auxiliis Cur, Quomodo, Quando, Dupliciter in illis proceditur. 1. Aliquot adjuncta examinando, ut si in festo Conceptionis Deiparæ Virginis proponeres, dicturum te! quid sit sine originali labe concipi. 2. Quomodo id fieri cum D. Virgine Maria potuerit. 3. Quibus rationibus ad id credendum adduci possimus. 2. unum aliquot adjunctum subdividendo E. g. in annuntiatione B. Virginis Mariæ, ad illa verba, *Gratia plena*, posses proponere, te acturum: quali gratia D. Virgo plena, scilicet, gratia gratis data, gratia gratum faciente, gratia ex opere operantis, quæ singula explicata, justam constituerent orationem. Similiter 3. Epiphaniæ. de Centurione, Domine non sum dignus, quando paucis verbis multa impetrantur. 1. Ubi magna necessitas, *vinum non habent*. 2. Ubi magna fides, ut hodie 3. Ubi magna charitas, *Domine ecce quem amas, infirmatur Joan. II.* Exemplum primi